



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1657

Fratres mendicantes quatenus admittendi. 7

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

CAP. IV. *Vnde dignoscere oporteat Pseudoëccleſtaſtas.*

2 Pet. 2.
Iuda.
Ad Ti-
moth. &
Titum.
2 Tim. 3.
1 Tim. 1.

Quos qui velit penitus agnoscere, is 2 Petri epist. legat cap. 2. & quæ ejusdem argumenti est, Iudæ Apostoli unicam, & eas potissimum divi Pauli Epistolas, quas ad Timotheum ac Titum cœpiscopos suos præscripsit; in quibus illos eodem, quo Dominus, nomine appellat lupos rapaces, non parcentes gregi: ex nobis quidem suboriturus, sed perverſa loquentes, ut abducant discipulos post se; homines, seipſos amantes, cupidos, elatos, superbos, blasphemos, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, protervos, reprobos circa fidem; à sine præcepti, quæ charitas est de corde puro & conscientia bona & fide non ficta, toto cælo aberrantes, in vaniloquium converſos, seductores, proficientes in pejus, errantes, & in errorem mittentes, magistros prurientes auribus, & in fide (quod bonam conscientiam repulerint) naufragos; verbis contententes, sanis vero sermonibus & ei, quæ secundum pietatem est, doctrinæ neutiquam acquiescentes, superbos, languentes circa quæſtiones & pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemix, suspiciones, malæque conflictationes hominum mente corruptorum, ac proinde ad nihil utiles, nisi ad subverſionem audientium; quorum sermo ut cancer serpit. Nunquid poterat Apostolus, futurorum conscius, hosce Pseudoëccleſtaſtas apertius aut dilucidius designare? quos nullus profecto Apelles tam expressim suis coloribus depingere potuisset.

1 Tim.
3. 4.

2 Tim. 2.

CAP. V. *Soli autoritate Ordinaria comprobati, ad Verbi ministerium admittendi.*

Adversus hos Pseudochristos & Pseudo prophetas, nos præmunivit Christus: Videte, inquit, ne seducamini. multi enim venient in nomine meo, dicentes, Ego sum Christus, & multos seducunt, ut in errorem (si tamen fieri potest) inducantur etiam electi. nolite ergo ire post eos. Vos ergo (uti subjicit commonens) videte; ecce prædixi vobis omnia. Christi ergo præceptum, quantum nobis ipse concedit, sequentes, quo lupos, tam pestilentes, ab ovilibus ac Diœcesibus Noſtris abigamus, visum Nobis est operæ precium fore, antiquos innovare Canones, quibus præcipitur, ne ulli ad Verbi ministerium seu prædicationis Officium, nisi missi autoritateque ordinaria approbati sint, admittantur.

Rom. 10. Quomodo enim (secundum Apostolum) prædicabunt, nisi mittantur?

Matt. 24.
Lucæ 21.

Marc. 13.

Rom. 10.

CAP. VI. *Quod legitimi & ordinarii Verbi ministri, sunt Parochi & illorum Vicarii; modo tamen hi examinati prius & admissi sint.*

Ordinarii ergo verbi ministri, Ecclesiarum Parochialium legitimi Rectores ac Parochi sunt. quos etiam personaliter apud easdem Ecclesias, secundum Canonicas sanctiones, perpetuo residere volumus: nisi tamen eos magna ratio, veluti quod vel majoris ac publicæ utilitatis causa absint, quæ & Noſtro calculo approbari debet; vel quod soli, ob Parochiæ amplitudinem, gubernationi tantæ non sufficiant, excusaverit. Tum enim, qui per illos delegabuntur, Vicarii seu Vicecurati, (modo tamen hi etiam examinati, & tam quod ad vitæ integritatem, quam Christianæ eruditionis puritatem & zelum, attinet, idonei reperti fuerint) Noſtro permissu, eodem Officio perſungentur. Qui vero deinceps in Vicecuratores assumuntur, Vicarii nostri in Pontificalibus, ac Theologorum, ei per Nos adjungendorum, in Diœcesibus vero Suffraganeorum Noſtrorum, illorum, quibus hoc muneri committendum duxerint, censuram (num videlicet obeundo muneri apti seu idonei sint vel minus) expectabunt.

Ex licet is
etiam de
ele. lib. 6.

CAP. VII. *Fratres mendicantes quatenus admittendi.*

Aliquot retro seculis in Ecclesiam recepti sunt quatuor Mendicantium Fratrum Ordines, quò Parochorum in verbi ministerio cooperarii forent. Quos absit ut repellamus; si tamen intra Concilii Viennensis, sub Clemente V celebrati, aliarumque Canonicarum constitutionum cancellos se continuerint; nec ante accesserint, quam per ipsorum Prælatos, ut viri inculpatæ vitæ, discreti pariter ac modesti, ac verbi Divini probè gnari, judicentur, atque ad hoc munus deligantur; deinde etiam Vicariis Noſtris in Pontificalibus præsentati, tales inventi fuerint ac permissi.

Ex Conc.
Vienn.
Cles. dis-
cium de
sepul.

CAP. VIII. *Quam modestiam fratres mendicantes in Verbi prædicatione servare oporteat.*

Qui tamen, quum in subsidium tantum vocati sint, ordinariis Ecclesiarum Rectoribus molesti esse desinent; ita videlicet, ne eosdem (quum suo munere fungi ipsimet velint) præoccupent, neve, quos in excolenda vinea Domini juvare debent, in concionibus virulenta ac detractoria lingua carpant; uti nonnulli hujus generis solent, qui, inflati ac incompositi, populi auribus demulcendis student, suam

Ex decr.
Pontiæ
Ponti.